

ri, aut legere nolle demum turpe est, nec cum sinceritate Theologica stare potest. Id verò in quæstionibus noviter exortis, quæque graves sunt & difficiles, magnam postulat tolerantiam & misericordiam, si quid innocenti, industria adhibitâ, nihilominus excidat, quod cum Regula Fidei conciliari statim nequeat: at ubi quæstio jam satis est discussa, imò publica Authoritate Ecclesiæ è verbo Dei illustrata & decisa, non pari tolerantia tractari merentur dissentientes. Piis Ecclesiæ doctoribus multa exciderunt, tum in modis & phrasibus loquendi, tum in sententiis ipsis, quæ progressu temporis emendata sunt & dilucidata, at hodie prætextu Antiquitatis illa repetere & excussa stramenta orbi obtrudere velle, maligni animi character esset: quemadmodum ex adverso ingens ingratitude macula iis accedit, qui pium eorum zelum vel sententias, quæ tolerari poterant, duris censuris orbi prostituere audent. Plures dissensus classes momenta & exempla colligi poterant: inque illis iudicii æqui Specimen exhiberi, sed hæc, quæ dicta sunt, sufficere possunt, lucemque subinde præbere aliis. Hæc ipsa verò de æquo iudicio, morali potius quam polemico instituto dicta sibi quoque æquum pollicentur iudicium.



Coll. Diss. A 16 B. 11. 4